



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De milite, cuius filium tonitruum occîdit, eo quòd ob intemperiem aëris in
blasphemia[m] prorupisset, cap. 21

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Vt video nō est nobis tutum cū Prælatis nostris con-
tendere.

CAPVT XIX.

CÆSARIVS.

ANNO præterito Cellularius quidam maior cū
Priore suo de rebus exterioribus verbis cōten-
dit, & videbatur ei, quia valde rationabiliter
moueretur. In ipsa nocte Saluator ei in cruce apparuit
iacens in terra, eratque velamen tenuē ac perspicuum
super corpus illius expansum: cuius cū vellet vulne-
ra retracto panno deosculari, imago manu auersa in-
dignabundē illum amouit: tanquam diceret; non es
dignus attactu corporis mei, qui serō me in Priore
tuo prouocasti. Ille mox euigilans, & causam repulsa
non ignorans, dictis maturis, me præfente, ad pedes
Prioris se prostrauit, veniam pro excessu suo postulas.
Matth. 5. APOLLONIVS: Si dignus est iudicio, qui irascitur fra-
tri suo, iam non ambigo, quin maioris pœnæ senten-
tiæ subiaceat, qui iratus fuerit patri suo, id est Præla-
to. CÆSARIVS: Ita est, vt dicis, quia maiorem reueren-
tiam debemus patribus, quam fratribus, siue carnales
sint siue spirituales. APOLLONIVS: Quid si ex com-
motione animi verbum iræ iaculetur in Sanctos, vel
quod magis est, in ipsum Dominum? CÆSARIVS: Ta-
le verbum dicitur blasphemia, quæ ex ira nascitur, &
sape multum acriter à Deo vindicatur.

CAPVT XX.

*Blasphemia pu-
bitur.*

SCHOLARIS quidam Parisiis, eo tempore quo
Abbas noster ibi studuit, verbum contumeliosum
in sanctum Abraham euomuit: quo die tertio
defuncto, cognouerunt omnes, qui verbum audierāt,
quod per pœnam mortis Dominus sanctum suū vin-
dicasset.

CAPVT XXI.

ANT e hoc quinquennium, quando valida illa
erant tonitrua, & penē à quotidiana aëris in-
temperie messis impediēbatur, miles quidam
prouinciæ nostræ homo liber, de villa satis
nobis vicina, videns à parte occidentali aërem obscu-
rari,

ari, nubesque imbriferas oriri, iratus dixit; Ecce ubi iterum diabolus ascendit. Vix sermonem finierat, & ecce orta tonitrua, filium eius in sinu nutricis percusserunt, ipsa incolumi permanente. Sed & in alijs, ædificijs scilicet & iumentis, blasphemus ille satis flagellatus est, vt disceret de cætero non blasphemare. Hæc eodem tempore gesta sunt, quando fulminata est turris villæ nostræ in Kassele; vnde stultum est valde, vt homo mortalis, cinis & vermis, ponat in cælum os suum. Ecce huiusmodi mala aliaque innumera parit ira. APOLLONIVS: Si Deus tam terribiliter peccatum iræ vindicat in præsentem, puto quòd huic vitio subiectos acriter puniet in futuro. CÆSARIVS: Ex capitulo sequenti hoc cognosces.

CAPVT XXII.

NARRAVIT mihi anno præterito Scultetus proxima Villæ, quæ Wintere dicitur, rem satis terribilem. Non est diu, inquit, quòd homo quidam religiosus & peregrinus in ecclesia nostra ad Missã stetit. Stabant iuxta eum matronæ delicatæ, quorundam militum vxores, fabulis vacantes, quæ illum orare nõ sinebant. Expleta Missa, quosdam ex militibus seorsum ducens dixit illis: Vos domini, orationis causa ad Ecclesiam hanc diverti, & ecce, diabolo instigante, tantus erat circa me clamor & susurrum illarum matronarum, vt omnino orare non possem. Dicam vobis rem terribilem, quæ meis temporibus in villa mea contigit: Erat ibi puella quædam bene nata, & diuitum filia, sed ita iracunda, ita contentiosa atque clamorosa, vt vbicunque esset, siue in domo siue in ecclesia, ibi rixas suscitaret, & beatum se iudicaret, qui euadere posset flagellum linguæ illius. Tandem defuncta est, & in atrio Ecclesiæ sepulta. Manè venientes ad Ecclesiam, vidimus tumbam eius ad instar fornacis fumum eructantem: vnde exterriti, & videre volentes quid hoc portenderet, terram eiecimus; & ecce, medietatem corporis superiorè ignis cõsumperat, inferior verò pars ab umbilico & deinceps illæsa apparuit. APOLLONIVS. Quid hoc significata?

*Ira post
mortem
punita.*